Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 645
Quelle:
Copyright:

bo. Verbum est pars orationis cum tempore et persona sine casu, qua quid agitur vel actum agendumve sit, indicatur. Verbo accidunt VIIII. Forma qualitas genus, quod dicitur adfectus vel species vel significatus, figura numerus modus tempus persona conjugatio. &c. Liber hic prior post expositas illas notas *octo* Orationis Partes Schemata illa, de quibus supra *Cassiodorus*, percenset. Alter prosodicus Syllabarum quantitates et Metrorum species docet. At vero hunc penitius inspectum nihil aliud esse deprehendi, quam *Val. Probi Librum* II. paullo ante relatum, neque tamen integrum; orditur enim a verbis illis: *A littera terminatus nominatiuus singularis siue pura siue aliqua consonanti praeiuncta* &c. quae habentur *Putschii col.* 1445. et in medio quibusdam foliis est mulctatus. En igitur idem Opus eodem compactum Codice eodem aevo, non tamen ab eadem manu diversis tributum autoribus, quos inter difficile statuas, nisi *Probus Sacerdoti* praescriptionem obponat.

XXVII. *fol.* 139. p. 2. *De Finalibus*, ut e calce praeoccupo, *Servii Honorati grammatici.* Initium: *Quanquam Rationem litterae et syllabae in Donati artibus habemus* &c. Ut apud *Putsch. cit. col.* 1809. Monitum *ad Aquilinum*, quod ibi praecedit, hic Libello subnexum est.

XXVIII. *fol.* 142. Tractatus *grammaticus*, qui incipit: *De oratione. Oratio est ore missa et per dictiones ordinata pronuntiatio velut oris ratio. Orationis partes sunt octo.* &c. Agitur deinceps *de Nomine, de Conparationibus, de Declinationibus*, iterum *de Gradibus Conparationum, de Pronomine et de Verbo*, hoc exitu: *eo. is. quae sunt primi et quarti ordinis.* Lecta sunt haec e *Fl. Sosip. Charisii Institutionibus*, ut edidit *Putschius col.* 1.

XXIX. *fol.* 156. vetustissima manu, columnis 2. angustis Observata quaedam grammatica et prosodica de Syllabis voces terminantibus. Legas etiam: *Cerberus dictus quasi* Κερεοδορος. Vitio autem Compactoris intercepta sunt inter binas membranas aliae binae, quae inscribuntur: *Incipiunt pauca excerpta de libro macrobii theodosii. Theodosius symmacho suo salutem dicit.* Singulare istud, neque, quod sciam, a *Macrobii* Editoribus observatum. An vero is *Q. Aurel. Symmachus* pater, an *Q. Flav. Memm. Symmachus* filius, incertum. Chronologia certe neutri repugnat. Sequitur illico: *De uerborum graeci et latini* (sermonis) *differentiis uel societatibus. Prima utriusque uerbi societas est in hoc* &c. Extat Opus ipsum cum in *Opp. Macrobii, Lugd. Bat.* 1628. p. 556. 8. tum apud *Putsch. col.* 2727. Nostris vero Excerptis continuo adhaerent alia e L. I. *in Somnium Scip.* de Somniis, ut edit. *cit.* p. 8. et alia de *Hippocrate* p. 29. Atque in his definit optimae frugis Codex, cujus variam lectionem, qui minutius persequi voluerit,